

ΣΤ' Ν ΘΕΩΝ ΚΑΙ' ΝΩ.

DISCURSUS PHILOSOPHICVS.

D E

DEFINITIONE PHILOSOPHIÆ:

PHILOSOPHIA EST ARTIUM LIBERALIUM
COMPREHENSIO:

IN GYMNASIO MULHUSINO,
AMPLISSIMI SENATUS CONSENSU,
AD DISPUTANDUM PUBLICÈ
PROPOSITUS:

PRÆSIDE

M. GEORGIO-ANDREA FABRICIO,
Poet. L. CÆSAR. GYMNASIARCHA.

RESPONDENTE

JOACHIMO BLÆSINGIO WEHNDENSI.

Habebitur disputatio ad
VII. Kal. Februar. 1627.

Horis à Sextâ matutinis, in Auditorio novo.

MULHUSII,
Typis excusum per JOANNEM PERTICARIUM.

DISCURSUS PHILOSOPHICUS,

AD

IMPERIALIS REIPUBL. MULHUSINÆ,
PATRES AMPLISSIMOS.

OYPO K' EIPESIH nuper me subdidit Auctor,
ferrent, quâ vellent liberiote viâ.
Abripior. Sed enim retrahunt me jura SENATUS:
cujus Ego, cuius debitor Auctor erat.
Vectores fecere ratum. devolvor in ulnas,
in vestrum, PATRES, vento agitante, sinum.
Auctor conspirat. Vos immò ipse advocat unà
præsidio, auxilio, subsidioq; mihi.
Hoc vestrum est agere, & magnis conatibus omne,
quod SOPHIAÆ est, studium dirigere & stadium.

Σὲν Θεω̄ μετὰ νῶ.

DISCURSUS PHILOSOPHICI.

THESES I.

PLacet definitio Philosophiae: Philosophia est artium liberum comprehensio.

II.

Definitur PHILOSOPHIA, que Latinis sapientie amor
et studium; Gracis olim οὐφία, Latinis sapientia dicta fuit.

III.

Sapientia hoc nomen nimis arrogans judicavit Pythagorus.
Itaq; alterum illud Philosophie substituit.

IV.

Meritò et rectissime. Quis enim se ὡφός, h. e. sapientem
profiteatur, licet in Philosophia maximè excellat?

V.

Non admittit imbecillitas nostra, que infima et minima quæ
vix assequitur: quomodo ergo de summo sapientia fastigio glo-
rietur?

VI.

Comprehensio itaq; Philosophia est, que Graco nomine σύστη-
ma; sed et Latinis systema eleganter et ex usu probato dicitur.

VII.

Ergo systematicè Philosophia consideranda est.

VIII.

Itaq; et precepta artium systematicè considerata Philosophia
ipsa; non autem nuda ejus imago sunt.

IX.

Doctrina enim in systemate spectata, tam docentis, quam di-
scientis objectum est. Quidni ergo Philosophia ipsa sit?

X.

Fit secundum eandem analysis et genesis, et ratio ex ea red-
ditur

A. 2



ditur de re quavis Philosophicā. Evincitur ergo quod Philosophia ipsa sit.

XI.

Quae si non est, quomodo verbum Dei in sacro codice comprehensum, verbum Dei dicetur? Et non potius imago Et signum verbi Dei? quod Adversarij nostri velle videntur, quando Theologiam in sacro codice comprehensam litteram moriham, atramento scriptam dictitant.

XII.

Sed absit ut hoc statuamus. Libenter enim profitemur, quo Christiani sumus, sacrā scripturā verbum Dei ipsum contineri; non tantum ejus imaginem Et nudum quoddam signum sive vestigium.

XIII.

Itaq; Et de Philosophia, saltem per comparationem hanc dicere licebit, quod legitimo Systemate comprehensa Philosophia ipsa sit.

XIV.

Est autem Philosophia comprehensio ARTIUM. Artes ergo materia sunt, ex qua Philosophia constat.

XV.

Si quis ordinatam artium comprehensionem dicat, non id difficilere poterit.

XVI.

Nam Et Artium inter se ordo verus Et legitimus Philosophiam tanto magis commendat.

XVII.

Ars vero est comprehensio praeceptorum verorum, homogeneorum, catholicorum, ordine dispositorum, ad usilem in vita finem.

XIX.

Quilibet igitur pars Philosophiae ars est, usitate, vere, proprie; eodem planè sensu, quo doctrina Et disciplina dicuntur.

XIX.

Quilibet enim ars comprehensio Et Systematica doctrina est.

Ergo

XX.

Ergo etiam qualibet primò & per se in systemate consideranda.

XXI.

Ut autem Philosophia tota artium: ita qualibet ars preceptorum est comprehensio.

XXII.

Præcepta igitur materia sunt artium.

XXIII.

Ergo ars, & per consequens Philosophia materiā non destituitur.

XXIV.

Non enim ex nihilo est. Ex aliquo igitur.

XXV.

Quod autem ex aliquo est, id materiam habet. Materiam enim est causa, ex qua res est.

XXVI.

Præcepta illa vera sint necesse est. Præcepta, inquit Zabarella l. i. de medio demonstrat. tradenda sunt, quæ perpetuam beatant veritatem.

XXVII.

Sanè nemo opifex discipulum docet id, cuius eras alia futura sit ratio. Ergo multò minus Philosophus.

XXVIII.

Philosophus enim veritatis studiosus maximè esse deber.

XXIX.

Et si eadem perpetuò est honestè vivendi regula, philosophandi etiam modus necesse est ut sit immutabilis.

XXX.

Docet enim philosophia non modò rectè sentire; sed etiam benè vivere.

XXXI.

Imò omnia, quæ philosophia tradit, in genere ad vitam hanc feliciter agendam quedammodo pertinent.

XXXII.

Adde, quod artium præcepta hominem in humanis rebus cer-

eum reddere debent. Scientifica igitur sunt. Et per consequens
vera.

XXXIII.

Vera sunt; sed etiam homogenea seu essentialia, ut unum ex alio
fluat: ut quodlibet arti sua sit consentaneum et proprium.

XXXIV.

Secus si sit, committetur uerba eius ad yeronimum, Aristote-
li, magno Philosopho, inimico.

XXXV.

Sint eadem etiam catholica seu reciproca.

XXXVI.

Nisi enim praeceptum sit convertibile seu reciprocum, vera ex-
empli ad regulam applicatio fieri non potest.

XXXVII.

Si enim per Syllogismum prima figura, exemplum subsumen-
dum sit affirmatè, jam praeceptum converti oportuit. v. g. Cupio
demonstrare: Unitatem esse numerum; non possum salvâ lege
Syllogistica, ex definitione numeri: (Numerus est quantitas, se-
cundum quam unumquodque numeratur) nisi ea convertatur:

Quantitas secundum quam unumquodque numeratur, est
nummerus.

Hinc enim rectè subsumo, et concludo hoc modo:

Atqui unitas est quantitas, secundum quam unumquodque
numeratur.

Unitas est numerus.

XXXVIII.

Inquis: Ergone definitiones praecepta sunt tibi? Omnia sunt.

XXXIX.

Imò sunt definitiones, sed etiam divisiones certissima ac verissima
praecepta, ex quibus reliqua omnia, si qua sunt, unicè fluunt.

X L.

Denique praecepta in arte conjuncta vero et legitimo ordine
sunt disposita.

Hoc

XLI.

Hoc enim methodus requirit: & fructum hunc spendet duplarem: quod sic convenientia rerum melius judicetur, memoriâq; ipsa res melius comprehendantur.

XLII.

Magnum est in arte lumen methodus: immo forma artis, sine qua cadaveris speciem praecepta referunt.

XLIII.

Atq; hujusmodi praeceptorum comprehensio, ad utilem in vita finem spectare necesse est: id quod definitio artis ultimo loco precipit.

XLIV.

Itaq; artis nomen non meretur, quicquid ad finem in vita utillem non dirigitur.

XLV.

Ex hoc ergo fine omnes artes quodammodo dicuntur practica.

XLVI.

Nempe & Metaphysica, & Physica & Mathesis practica sunt, quatenus hic diriguntur, ut in vita usum aliquem praestent, prout cuiusq; finis & scopus postulat.

XLVII.

Quilibet igitur ars, & per consequens tota Philosophia cuilibet vita ac professioni utilis est.

XLVIII.

Idq; vel magisterialiter vel ministerialiter.

Lxix.

Magisterialiter utilis est illi, cuius principia ex ipsâ Philosophia deducta sunt. L.

Huic n. non modo res quodammodo suppediat, sed etiam modum rationem prescribit, hec vel illa cognoscendi vel administrandi.

L.I.

Sic in vita œconomicâ patrifamilias Physica ostendit naturam corporum eorumq; usum; œconomica vero doctrina applicatiorem & ordinem utendi-fruendi exhibet. Sie

LII.

Sic Architecto Mathesis prescribit rationem magnitudinū, mensurarum, mensurationum, & que buc pertinent.

LIII.

Sic Duci aut militiae prefecto eadem Mathesis rationem castella-metandi; fossarum latitudinem, murorum & turrium altitudinem mensurandi: ipsum verò bellandi modum & normam Politica demonstrat.

LIV.

Sic magisterialiter Facultatibus superioribus Juridice & Medicæ utilis est philosophia, tanquam mater & nutrix earumdem, suppeditando res varias, ijsdemq; boni & mali, turpis & honesti discrimen ostendendo.

L V.

Utraq; enim ex principijs rectæ rationis, adeoq; ex philosophia ipsâ deducta est.

L VI.

Hinc dici solet: Ubi desinit Ethicus, ibi incipit Jureconsultus.

L VII.

Atq; iterum: Ubi desinit Physicus, ibi incipit Medicus.

L VIII.

Quia tamen nemo bonus est Ethicus, nisi & ipse bonus sit Physicus; & nemo Physicus bonus, nisi & ipse bonus sit Ethicus; propterea quod iste & omnes artes inter se communi vinculo continentur: Ideoq; & JureConsulto & Medico, totius Philosophie cognitionem necessariam & utilem esse arbitramur.

L IX.

Ministerialiter verò utilis & necessaria est etiam Theologo.

L X.

Dico ministerialiter. Non enim res Theologice, que quidem pure & merè Theologica sunt, ex philosophicis principijs deducuntur.

Itaq;

LXI.

Itaq; nec Philosophie in Sacrosanctam Theologiam imperium aut dominium ullum permittitur. Ministra hic est, nō Domina; ancilla, non Regina.

LXII.

Nō ergo Theologia Philosophie; sed Philosophia Theologia sese accommodare debet.

LXIII.

Atq; sic per se Philosophia Theologia ancillares operas præstat fidelissimas.

LXIV.

Imò verò Theologo non utilis modò, sed & valde necessaria est.

LXV.

Necessaria tamen non ad essentiam, ut sit; sed ad existentiā, ut bene sit.

LXVI.

Plura enim semper ad rei existentiam, quam ad essentiam requiruntur.

LXVII.

Concludimus hinc Philosophiam per se nec malam; nec peccatum esse; neq; Sacrosancta Theologia adversam.

LXVIII.

Differunt enim Theologia & Philosophia dogmatibus non pugnancibus, sed deficientibus.

LXIX.

Deficit Philosophia in multis: ut que prorsus ignorat; que non habet; non assequitur: non tamen propterea Theologia est contraria.

LXX.

Aliud est rem ignorare; aliud negare.

LXXI.

Non statim nego rem, cùm me ignorare profiteor. Multa se ignorare proficitur Philosophus; quia tamen non negat.

LXXII.

Si autem negat & contradicit, quid tū? Non ex Philosophico habitu, sed ex vitiōso affectu id faciet.

LXXIII.

Quod autem vitiōsi affectus est, & ipsius quidem hominis,

B

id Phi-

id Philosophia tribuendum vel imputandum non est.

LXXIV.

Et quid mibicum Philosopho? De Philosophia loquor: que in legitimo suo Systemate non contradicit.

LXXV.

Atqui facit in Philosopho? Facit; verum non ex se; sed philosophi virtus, qui vult eam facere Dominam, que ministra est; constituere Reginam, que ancilla est.

LXXVI.

Imò quod philosophia in thesi dicit; Philosophus aliquando male & vitiosè transfert ad hypothesis. Virtus ergò non in Philosophia; sed in philosopho.

LXXVII.

V.g. Philosophia dicit: Omne corpus physicum est in loco, & quidem non nisi uno. Philosophus aliquis subsumit: Atque corpus Christi est corpus physicum. Et concludit: Ergo corpus Christi est in loco, & quidem non nisi uno. Nimurum quod Philosophia dicit in thesi, de corpore mere physico: id Philosophus vitiosè accommodat ad hypothesis, ad corpus videlicet Jeanegiannis, & quidem glorificatum.

LXXVIII.

Hec verò mala est accommodatio, facta à Philosopho, male subsumente.

LXXIX.

Nam & Philosophia docuit Philosophum subsumere, non diversum quid, sed idem, quod in propositione fuit, & sub ejusdem terminis, eodem modo acceptis, continetur. Assumptio enim est secunda pars antecedentis, que assumitur à propositione: inquit noster Ramus.

LXXX.

At, inquis, multa Theologicè vera sunt, que Philosophicè sunt falsa. Ego verò hoc ipsum nego. Non enim est nisi una veritas.

Pergis:

LXXXI.

Pergis: Mysteria Theologica in Philosophia aut vera sunt, aut falsa. Tertium enim non datur. At qui non sunt vera in Philosophia. Ergo falsa.

LXXXII.

Respondeo: Datur omnino tertium in propositione: pars enim omittitur: aut inusitata sunt & prorsus ignorantur.

LXXXIII.

Mysteria ergo Theologica nec vera sunt in Philosophia; nec tamen falsa; sed inusitata sunt & ab eadem ignorantur.

LXXXIV.

Objicis iterum: Multa Philosophica vera, Theologicè falsa sunt. Ut cum dico: Ex nihilo nihil fit: Philosophicè verū; Theologicè falsum est.

LXXXV.

Ego verò ne hoc quidem concedo. Quae enim Philosophicè vera sunt, vera sunt (eodem modo & respectu accepta) etiam Theologicè.

LXXXVI.

Tradunt enim Philosophica illa ordinem à Deo ipso institutum: de quo quod isto sensu verum est, ordinationi alteri, itidem divine, non potest ex se adversari.

LXXXVII.

Sic axioma: Ex nihilo nihil fit, ab Aristotele dictum & productum est de generatione: qua est ordo naturæ ab ipso Deo institutus.

LXXXVIII.

In suo igitur, hoc est genuino sensu, axioma verum est, etiam in Theologicis.

LXXXIX.

Déus enim non voluit res ex nihilo fieri, sed singulis speciebus indidit materiam, ut ex se conservari & propagari possent. Ecce dedi vobis, inquit ipse, omnem herbam, producentem semen, Gen. i. v. 29. Ex semine itaque debuit produci. Et per consequens, non ex nihilo.

X C.

Ex se igitur axioma illud philosophicum prima creationi omnium ex nihilo, non adversatur.

Si quis



XCI.

Si quis autem ad articulum de creatione accommodet, is certè
inopus est, & neq; a' Zaxov sic ad yev@ committit.

XCII.

Aut sancè perversus & malitiosus est, qui veritatem cœlestē,
stulta applicatione rei impertinentis, infirmare satagit.

XCIII.

Quod cùm homo ex insitā malitiā səpē faciat, etiam in alijs:
ideoq; πτ̄ Φεγνηα τῆς σαρνος meritō dicitur ab Apostolo, inimici-
tia adversus DEm. Rom. 8. v. 7. & quæ sunt Spiritus DEi, ipsi
dicuntur esse stultitia. 1. Corinth. 2. v. 14.

XCIV.

Sed omnino distinguendum hic inter propositionem, quæ suo
sensu vera est, & rationem, quæ corrupta, propositionem səpē la-
tiūs extendit, quān debebat. Neg; enim quodvis rationis deli-
rium Philosophia est.

XCV.

Quia verò & Philosophus aliquando contradicit Theologia,
habitu Philosophico abutens: ideoq; Apostolus monet, cave-
mus, ne quis deprendetur nos per Philosophiam & inanem dece-
ptionem. Coloss. 2. v. 8.

XCVI.

Sed & hic necessum est, ut abusum à vero usu distinguamus.
Nam Philosophia non nisi per abusum sui decipit.

XCVII.

Abusus verò Philosophie verum & genuinum usum collere
non potest: ut nec artem & Philosophiam suspectam & infa-
mem reddere.

XCVIII.

Neg; abusus est artis, & ab arte; sed contra & præter artem.
Solenne enim est ipsi, inq; perpetuum, spectare ad utilēm in vita
finem.

Itaq;

XCIX.

Itaq; & Philosophus præter Philosophiam & artem facit, cùm ipsa ad evertendam doctrinam cœlestem utitur, vel verius abutitur.

C.

Eo ipso enim non est utilis huic profissioni; sed potius summe noxious.

C I.

Adeq; vim facit non Theologie solum, sed ipsi etiam Philosophie.

C II.

Atq; hec de artibus, que Philosophia materiam constituunt. Superest forma, quā artes Philosophicae dicuntur LIBERALES.

C III.

Hoc ipso enim, quod Philosophia artes liberales continet, ab alijs doctrinarum generibus distinguitur.

C IV.

Non ergo & illiberales artes continet.

C V.

Licet enim ex mechanicis quedam, ut Architectonica, pictoria & similes, nonnulla ab ipsa Philosophia mutuentur, & quoad ἔνοντο suo instituto accommodent: ipsa tamen ad Philosophiam quoad οἶνον non pertinent.

C VI.

Licet & objectivè philosophari possimus in mechanicis, & de ipsis: non tamen eadem subjectivè, aut tanquam partes ad Philosophiam referenda sunt.

C VII.

Suis itaq; artificibus ceteræ artes relinquuntur: Systema vero nostrum illas solummodo exhibeat, quas ut Plato ait, μεγάλης τοῖς εἰλθέσις μαθεῖν οὐσα ξυνέσως ἔχει), μὴ οὖσα χρεοκοπίας: hoc est, quas decet liberos homines addiscere, qui intelligentiam maximè, non manuum ministerium requirunt.

C IX.

Liberales itaq; artes nostra dicuntur: quia homines liberales maximè decent.

A 3

Liberalia

CIX.

Liberalia ergò ingenia liberalib⁹ artibus maximè sunt digna :
Et liberales artes dignæ liberalibus ingenijs.

CX.

Itaq; Et liberalia ingenia liberaliter sunt tractanda ; non ser-
viliter habenda aut educanda.

CXI.

Deinde liberales artes dicuntur, quia liberè exerceantur.

CXII.

Non ergò, ut mechanicis, liberalibus hisce limites constituendis ; sed eadem liberè à quovis exerceri possunt ac debent.

CXIII.

Itaq; Et libertas Philosophica tenenda , ne ad unum præcisè
auctorem adstringamur : adeoq; simus, quod Scaliger ait, man-
cipia aliena libidinis.

CXIV.

Quin potius obtineat illud Aristotelicum : Amicus Plato,
amicus Socrates ; sed magis amica veritas.

CXV.

Porrò liberales artes dicuntur, quia sine impedimento exter-
no liberas mentis operationes habent.

CXVI.

Non ergò impuro corporum contactu hominem exterius in-
quinant, aut sordidum fieri permittunt.

CXVII.

Insuper liberales dicuntur, quia homines liberos efficiunt.

CXVIII.

Non ergò studiosi Philosophia, ut alij homines, oneribus gra-
ventur, sed privilegijs ab ipsis Imperatoribus liberalissimè do-
nati gaudeant, propterea quod scientiā totus illuminatur mun-
dus : ut loquitur Fridericus Imperat. in nov. constit. ad C. l. 4.
tit. 13.

Liber-

C_{XIX}.

Liberales deniq^{ue} dicuntur, quia cultores suos liberales redunt.

C_{XX}.

Omnem ergo illiberalitatem excludunt, liberalitatem requirunt, gratitudinem stabiliunt.

C_{XXI}.

Itaq^{ue} & Preceptores, suos discipulos liberaliter informent, nec se invidos præstent.

C_{XXII}.

Discipuli etiam ipsi liberales erga Preceptores suos sint, ne vulgatum audiant scomma:

Discere vult omnis: mercedem solvere nemo.

C_{XXIII}.

Imò & ceteri, qui liberales artes amant, & promotas cupiunt, liberalitate eas fovere monentur, ne illiberalitate suā Germanorum illud stabiliant: *Die Kunst geht nach Brose.*

C_{XXIV}.

Atq^{ue} hac Philosophiae illa definitio: cum quā pulchrè concordat, quam Plato tradit in Dialogo de Philosophia, ubi eam definit ιμωριαν τεχνῶν πασῶν τῶν αἰξολόγων, peritiam artium omnium, qua estimatione digna sunt.

C_{XXV}.

Licet enim generis loco ēiū περιπονατ: Non tamen hoc ipso Systematicam comprehensionem collit: cum peritia illa ex Systematicā comprehensione existat.

C_{XXVI}.

Quod verò addit: τεχνῶν πασῶν τῶν αἰξολόγων, eo ipso artes liberales notat. Omnimè enim eadem estimatione omnium dignissima sunt.

TAN^o



CXXVII.

T A N T U M de precepto Philosophico, omnium communissimo & generalissimo. Quo non bene cognito aut neglecto vix via datur ad reliqua. Itaque a nobis in suas particulas diducendum & paulo uberiori considerandum fuit. DEO SOLI SAPIENTI, a quo omnis est sapientia, qui dat sapientiam sapientibus & intelligentiam intelligentibus, sit laus, honor, decus & gloria seculis infinitis!

F I N I S.



Et non cœlum et non terram
non habet nisi tuus regnum

Domini regnatur et semper
regnabit et semper regnabit

Regnabit et semper regnabit
et semper regnabit et semper regnabit

Regnabit et semper regnabit
et semper regnabit et semper regnabit

ΣΤΝ ΘΕΩΚΑ

DISCU PHILOSOP

D E

DEFINITIONE PH

PHILOSOPHIA EST AR
COMPREHE

IN GYMNASIO N

AMPLISSIMI SENAT

AD DISPUTANDI
PROPOSIT

PRÆSIDI

M. GEORGIO-AND
POET. L. CÆSAR. G

RESPOND

JOACHIMO BLÆSING

Habebitur disp
VII. Kal. Fe

Horis à Sextâ matutinis,

M U L H

Typis excusum per JOANNE

